

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0498

0496

0502

0492

484

Consequenter a loco praedicto nos avertimus et descendendo in vallem illam latam et spatirosam venimus, per quam nudius tertius intravimus ad monasterium S. Catharinae, sicut habetur supra fol. 40, a. b. Est autem vallis amoena et spatiosa per modum crucis inter montana expansa et quamvis sint montes per circuitum (54 a) alti, sunt tamen valles clari et lucidi propter distantiam montium ab invicem; quando essent aquae in illa regione, esset nobilis pro hominum inhabitatione, pro civibus et villis. In his vallis castrametati sunt filii Israel, postquam mare rubrum transierunt, ut habetur Exodi XXI. Dicitur autem regio illa desertum Synai e regione montis Synai, in qua filii Israel pro majori parte habaverunt in illis XL annis, quos per Dominum detenti in deserto fuerunt.

Descendimus ergo in locum, ubi valles convectuntur et ubi magna latitudo est et planities. Ibi vidimus eminentem petram, quae erat ad modum cathedrae praedicantis, in qua dicunt Moysen stetisse et verba Domini populo pronuntiasse et legem sibi traditam promulgasse et a populo ibi responsa accepisse et Deo in montem retulisse et Domini voluntatem ibi frequenter proposuisse populo Israel.

Fuit profecto locus ad praedicandum aptus et inferius pro populo valde spatirosus, quod necesse erat, quia populus multis fuit, scilicet sexcenta millia peditum virorum, absque parvulis et mulieribus. Sed et vulgus promiscuum et innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis, multa nimis, ut habetur Exodi. 12.

In hoc loco, quia latus et spatirosus est et ad eum omnes valles per gyrum habent prospectum, filii Israel in absentia Moysis, quando erat cum Domino in monte, aureo vitulo, quod fecerat eis Aaron, sacrificaverunt et per ejus circuitum nudi chorizaverunt et totam plebem de omnibus mansionibus et tentoriis congregaverunt ad solemnitatem vituli proclamantes: hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Aliqui etiam de princibus et senioribus in locum ascenderunt, ubi Moyses consuevit stare ad alloquendum populum et populo vitulum demonstraverunt ed ad adorandum eum exhibuerunt.

0507

0487

0547

0447

0597

0397

0997

Ende

Anfang

